

IPC S.

1567

1567

271a

oo
Constat 3. M. in S. Hütten,
zu Letza q. veltzi a. 1700.
oo

6
XVII, 284.

4
P S A P H O N I S

A V E S S I V E

N E I C A R C H V S .

L V D O V I C I H E L M B O L D I

M V L H V S I N I .

V E R I T A S ,

Non erubescō ſæpius
Prodire : quo te proripis
Mendacium ? cur non ca
Redis ? abisti qua via.

A N N O , M . D . L X V I .

4

CLARISSIMO
VIRO, D. DOCTORI
PANCRATIO HELBICHIO,
compatri suo suauissimo S.

DVm spoliant alij vites, & dulcibus vuis
Excutiunt duro mollia vina pede.
Ipse Psaphonis aues, coruos, picasq; loquaces
Sector, & hanc, viridi cui sua colla rubent.
Quas cepi, dono tibi compater optime mitto,
Aucupium fugit turdus, anasq; meum.
Et reliquæ stomachus quarum magis expetit vsum,
Si cupis has (omnes quis tibi donet?) eme.

T. Helmboldus.

AD LECTOREM.

Væ sint aues Psaphonis? & quis ipse sit?
Erasmiana te docent prouerbia.
Q Neicarchus ἀρχὴν, atq; νεικῆν continens
Est Doctor Hebestridus ille, quem fames
Irritat ingens æris, atq; gloriæ.
Is cum calendis edidit Prognosticon,
Cui Caspar est Pontanus inscriptus loco
Auctoris: Hic Pontanus etsi nullibi
Fuit, nec est eritue, præclare tamen
Commendat, Hebestridianum quicquid est.
Cunctis eum præfert, medendo qui valent,
Signisq; syderum futura colligunt.
Pontanus Hebestridus est, is nobile
Ut consequatur nomen inter exteros,
Encomiasten proprium fingit sibi,
Se publice falso celebrat nomine.
Astutus, agnoscens enim nullum fore,
Mendaciorum laude qui vehat fabrum,
Mentitus autorem nouum, se prædicat.
Pontanus ille lectus in Prognosticis,
Confert huic intelligendo carmini.

PSAPHONIS AVES,
SIVE NEICARCHVS.

Nunc etiam Libyci miracula credo Psaphonis,
Prisca nouis etenim secula nostra probant.
Forte Paratonij celebres Ammonis honores,
Pictis accumbens uiderat ille toris.
Gens epulata quibus Maurusia, læta crepabat
Iubila, Bacheij laudibus apta Capri.
His animum spondens, nil iam mortale probabat,
Maius natura concipiebat opus.
Atq; sibi poni similes ut cerneret aras,
Et fieret patrio magnus in orbe Deus.
Insidias sparso capiendis fune struebat
Alitibus, quarum guttura grande strepunt.
Verbaq; mentiri discunt humana, magister
Si quis ijs linguas soluat, & arte regat.
Coruus adest captu facilis, tum garrula pica,
Et docilis blando Psyttacus ore loqui.
Pluribus apprensus, & in una sede coactis,
Assidue certos præcinit ille modos.
Hæc tria uerba, PSAPHON Magnus Deus: hæc tria uerba
Omnes exactis ut retulere sonis.
Copia, quò libuit, redeundi facta cuius
Est: nemus, hæc uirides illa reuifit agros.
Solutus in ore Psaphon Magnus Deus omnibus illis
Est, reliquæ cantum mox imitantur aues.

Vt

Vt Sathanas semper late mendacia spargi
Gaudet, & ijs operam præstat ubiq; suam.
Quem reor his auium conatibus ora dedisse,
Aligeri socius ni gregis ipse fuit.
Cum reliquis Acherontæi Bubonibus antri,
Quos tenebræ mundi, sole cadente, iuuant.
Ergo Psaphon magnus Deus omnes personat agros,
Et cum subiectis uallibus alta iuga.
Audit eas Lybie uoces, audiret & Ammon,
Aures si gereret cornibus ille pares.
Inscia plebs fraudis, qualem neq; fingere possit
Suspicio, uolucrum nuncia uera putat.
Ardua continuo molitur templa Psaphoni,
Ante nouas aras hostia multa cadit.
Sic homo diuinos temere sortitur honores,
Per tria, quæ uanæ uerba loquuntur aues.
In tenebris nequijt cerni subtilior astus:
Lux ubi nulla, locum quilibet error habet.
Credibili maior non est dolus ergo Psaphonis,
Vt docet exemplis hæc quoq; terra suis.
Cui medios agros, medias cui diuidit urbes
Hiera, suis Vnstrum mox subiturus aquis.
Hic etenim quidam Neicarchus nomine uiuit,
Obscura claris æmulus arte uiris.
Æternas peperit quibus ampla scientia laudes,
Et meritis grandes accumulauit opes.
Hippocratem multas qualem, medicina per oras,
Arsq; potens stellis te Ptolemæe canit.

Iuridicis nondum se miscuit ille, nec audet
Tangere, quo sedit Theologia, locum.
Cum medicis homini res est, coeliq; professis
Sydera, quid coitu sint paritura suo.
Hic cupit excellens, nulliq; secundus haberi,
Quantus Atlas olim, quantus Apollo fuit.
Nec solide quicquam nouit, neq; praestitit, unus
Iudicio pollens quod uir in orbe probet.
Est noua calliditas, mihi qua superare Psaphonem
Creditur: hic uiuas erudiebat aues,
Ut sibi cantarent praeconia: cogitur illi
Praeco dari, nondum quem sua mater habet.
Nullibi Casparem Pontanum uiuere scimus,
Hunc tamen, ut chartas publicet, ille docet.
Ordine quae uarijs cum tempestatibus anni,
Enumerant menses, hebdomadamq; dies.
Adijciuntq; futurarum praesagia rerum,
Praesciat ut populus fata, Deumq; roget.
Haec nondum genitus iamdudum pandere uates,
Neicarchi mira calliditate potest.
Quis scopus est chartis? ut saepe recurrat in illis,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Inquit enim: ne quem lateant uentura, legatur
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Pluribus euentis oracula consona promsit,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Mortuus est Caesar, non nescijt ante locutus,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.

Cetera

Cætera uix aberunt, quæ uaticinando minatur,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Firma, quibus pestem superes, munimina monstrat,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Præcipuis misit doctoribus illa rogatus,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Tres à præsentis reuocauit morte Poëtas,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Summorum grato celebratur carmine uatum,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Omnibus est promptus, cum diuite curat egenum,
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Talia Pontanum Neicarchus scribere fecit,
Non modo qui manibus, sed quoq; mente caret.
Qui nec habet tantum, quantum resonabilis Echo
Corporis, est sine re nomen inane uiri.
Attamen iniuncto fungens sibi munere, laudes
Doctoris paruas non sinit esse sui.
Lypsiacas inter merces iam prostat, & alta
Emptores ad se garrulitate uocat.
In quascunq; manus uenit, his ait: ipse legatur
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Spargitur in uulgus celeberrima fama, putatur
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Quis propius multis retro sæclis uenit Olympo?
Gloria Neicarchi rumpit ad astra uiam.
Magnus eos metus inuasit, uirtutibus olim
Ætheris auratos qui meruere thronos.

Astrologi pauet aduentu turbatus Orion,
Iamq; suas stellas illius esse putat.
Non minor Aemonium Chironem cura fatigat,
Cui bene nota soli quaelibet herba fuit.
Signifero, dubitat, num permansurus in arcu
Sit, Medicus siquidem clarior astra subit.
Gnostia nunc repetit moestas Ariadna querelas,
Non secus, atq; uidens pellicis ora nouae.
Ne sibi dematur speciosa corona, ueretur,
Postea Neicarchae circumitura comas.
Plèiades solae retinent secura timoris
Pectora, nulla uiro pignora nata sciunt,
Quae ueniens secum radiantibus inferat astris,
Et nitidis illas cogat abire thronis.
In quibus Eoae blandum cum frontis honorem
Terris ostendunt, nulla timetur hyems.
Si superos adeo Neicarchi gloria terret,
Ecquis humi positus iam remanebit honos?
Publicus hoc illi sine corpore menteq; praeco
Impetrat, & nusquam cum sit, ubiq; sonat.
Quin imitatores etiam (uelut ille Psaphonis
Garrulus in syluis cantor habebat) habet.
Quos iuuenes Heliconis enim uix attigit umbra,
Carmine Neicarchum ferre sub astra parant.
Cous cum Medicus non equiparasse uidetur,
Charta patrem patriae plebe legente uocat.
Nec nouus Heroum, quos dat Germania, scriptor
Est hominem numeris passus abesse suis.

Sed

Sed tribuens illi caput, ingeniumq; profundum,
Hic aliquid semper uir meditatur, ait.
Quid populus faciet rudis? hæc persuasio doctos
Si capit, excedit uiribus aucta modum.
Omnibus in triuijs, Pontano teste, feretur
Neicarchus medicus magnus, & Astrologus.
Sic celebris fieri, sic innotescere mundo
Serius hic gestit, gestijt ille prius.
Sed uolucrumne leuis facundia reddidit Afrum,
Stultaq; credulitas plebis, & ara DEVM?
Rostra quidem potuit sic informare, stupendos
Ut dederint, gnara sed sine mente, sonos.
Nec labor, orbatam diuino lumine gentem
Indeprensibili fallere fraude, fuit.
At soli nequijt sibi persuadere, locuti
Quod corui fuerant, crediderantq; Libes.
Conscia mens hominis neq; ui, neq; cogitur astu,
Rem secus ut statuat, quam scit, habere suam.
Se non esse Deum sciuit, simulando probauit:
Omnia qui simulat, se nihil esse probat.
Esto, malis ut mens furijs agitata PSAPHONIS,
Naturæ fuerit nescia facta suæ.
Carnis & infirmæ pronas oblita ruinas,
Sit sibi perpetuum uisa referre DEVM.
Ut dominus Sathanæ multum permittit in illos,
Esse creatori qui uoluere pares.
Attamen in tristes coniectus deniq; morbos,
Humanas didicit morte docente uices.

A S

Tunc

Nunc stygis horrendas præceps abreptus ad umbras,
Se procul ætherio sensit abesse throno.
Hunc tulit euentum Deitas simulata P S A P H O N I S,
Quid sua Neicarho fraus speciosa feret?
Quas sibi Pontani cantat sub nomine laudes,
Ut populus ueras sæpe legendo putet.
Sensibus has proprijs nunquam persuadet, inanes.
Nanq; scit, & rebus dissona uerba uidet.
Iurat, ut auditor credat, se plurima nosse,
Et sibi iuranti non habet ipse fidem.
Nanq; uiri si constanter sibi conscius esset,
Qualem se multa garrulitate facit.
Egregijs notas operis ostenderet artes,
Se quibus insignem iactitat artificem.
Res ageret laudem merituras, atq; taceret,
Certus, eam certo facta probanda sequi.
Non male commendat sua dextera quenq; Magistrum,
Pulchra boni tergum fama laboris amat.
Hanc expectaret comitem præstantibus actis,
Si qua daret, dare se qualia multa refert.
At quoniam falsos præcones ipse subornat,
Quos neq; Sol toto peruigil orbe uidet.
Dum procul abiecto cordis, frontisq; pudore,
In celebratorem uertitur ipse suum.
Sic tamen ut lateat: Pontanus nomine factus,
Quicquid Neicarchus scribit, agitq; probat.
Illius in laudes anni Prognostica uertit,
Commemorat, nemo quæ meminisse potest.

Cogitat


Cogitat, inquiri perpauca solere: putare,
Quæ legit, & nescit, quemlibet, acta foris.
Hinc apparet, eum sibi non conscire, quod audit,
Quod uè salutaris solus ubiq; cupit.
Non opus est falsis, cum debent uera probari,
Commentis mendax proditur ipse suis.
Nam licet indoctum capiant hæc retia uulgus,
Quod nihil ingenio, lumine pauca uidet.
Haud tamen Aonidum quisq;, nisi degener, hospes
Non animaduertit, quem struit ille, dolum.
Tam rudis est: quis enim scripturus uera, citaret
Somnia uaniloqui non bene iuncta uiri?
Quis noua uenturis meditans oracula rebus,
Gesta recenseret, quæ satis ante patent?
Quis precor in tabula solitas profitente Calendas,
Vllius absurdo tempore præco foret?
Illius imprimis, de quo laudabile fama
Nil loquitur, laudes buccinat ipse suas.
Tam turpis dolus hic, tam sunt encomia uana,
Ut nisi Neicarchi, nullius esse queant.
Hoc uidet, atq; uidens minime tolerabile ducit,
Igniculos animi qui melioris alit.
Crimina nec patitur uirtutibus esse secunda,
Quod male nunc hominum plæraq; turba finit.
Sed dat utrisq; palam sua nomina, laudat honestas,
Vituperat turpes, ut meruere, manus.
Artibus ergo malis sibi dum præconia quærit,
Publica Neicarchus probra lucratus habet.


Gloria

Gloria fallaces fugit, est infamia technis
Proxima, dedecorat fraus sua quenq; uirum.
Quippe latere diu nequit, innotescat oportet
Omne, quod obducta nube dolosus agit.
Qui tenebris olim confisus, tecta refringit,
Et bona uicino parta labore rapit.
Forte sub auroram captus producitur, alte
Protinus hærentem lumina mille uident.
In latebris homines prædo uenatus, apertum
Deniq; supplicium non sine teste luit.
Nocturnas thalami (ualeant modo iura) rapinas
In medio punit uirga diurna foro.
Luna ueneficijs quibus est seruire coacta,
His oriens Titan ignea fata refert.
Simpliciter bona plebs, etiam tenuissima, dicit,
Fila semel Phoebo conspicienda dari.
Ne dum Neicarchi figmenta tegantur, in ista
Crassicie, quantam nautica restis habet.
Quo sibi priuatum captat decus, atq; mereri
Vult digitum, solos qui notat artifices.
Hoc ipso reliquis communem tollit honorem,
Quidlibet audentis dum mala cepta ferunt.
Stulticiæ socij, quam concessere, putantur:
Nec culpa, poterant quam prohibere, carent.
Non facient posthac, non omnes ora tenebunt,
Rem, si non plures, unus & alter agent.
Totus ea cœtus ne suspicione prematur,
Sed decoris maneat portio euiq; sua.

Iustaq;

Iustaq; Neicarchi fastum uindicta retundat,
Qualis & est, nude conspiciatur, homo.
Non capiant oculos extrinsecus addita membris,
Exuuiæ pecudum sunt, spoliūq; soli.
Pectoris examen, morūq; sit, atq; laborum:
Pars bona uerborum nil, nisi uentus, erit.
Deficiet sanguis, quo frons pudefacta rubescat,
Turpia foedabit pallidus ora color.
Tunc prius eloquium fama mutante, feretur
NEICARCHVS Medicus uanus, & Astrologus.
Qui tumido celsum grassatur ad æthera gressu,
Hunc grauiter lapsum uix retinebit humus.
Tartara nanq; sua grauitate superbia rumpit,
Cum ualido coeli uerbere tacta ruit.
Nil igitur uolucrum præconia uana PSAPHONEM,
Nil sua NEICARCHVM nomina ficta iuuant.
Recta ualent, obliqua cadunt, stat gloria ueris,
Turpes euentus, quæ simulantur, habent.





9/19 3442a

ULB Halle

3


004 771 036




f

SB.

HC





PSAPHONIS

AVES SIVE

NEICARCHVS.

LVDOVICI HELMBOLDI

MVLHVSINI.

VERITAS,

Non erubescō sapius
Prodire: quo te proripis
Mendacium? cur non ca
Redis? abisti qua via.

ANNO, M. D. LXVI.

4

4

